DE

FISSURA ANI

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

FACULTATIS MEDICÆ HALENSIS

POSTQUAM,

TENTAMINE ATQUE EXAMINE RITE SUPERATIS,

PRO SUMMIS

IN MEDICINA, CHIRURGIA ATQUE ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XXII. SEPTEMBRIS MDCCCXXXI

THESES PUBLICE DEFENDERAT

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JULIUS PHILIPPI

HAMBURGENSIS.

HEIDELBERGAE

IMPRESSIT AUGUSTUS OSSWALD.

MDCCCXXXII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO, AMICISSIMO

JOANNI HENRICO

DE CHAUFEPIÉ

MEDICINAE ATQUE CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO HAMBURGENSI

HAS

LITERARUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Cum veterum more atque usu constitutum sit, ut quicunque ad dignitatem aliquam academicam pervenire gestirint, dissertationem de re quadam medica ordini exhiberent, hoc equidem suscepi opus, quod eo majore ab eruditis hominibus facilitate et indulgentia accipiatur velim, cum mihi, in libris scribendis haud versato, experientia et eae rerum cognitiones desint necessariae, quae ad opus scribendum requiruntur, quod dignum sit, ut typis excudatur. Quam ob rem haec mea qualiscunque opella

nonnisi pro collectione eorum, quae hic vel illic legi vel audivi, habenda erit. Hoc thema, ut mihi eligerem, id in causa fuit, quod eum morbum, quem auctore Boyer, operatione sola sanabilem esse putaveram, in instituto clinico medico Halensi facile sine operatione curari posse optimoque successu sanari intellexi, dum ne nimis esset inveteratus. De quo morbo, quum nondum multi libros confecerint, apparatum literarium, quem vocant, copiosum afferre non licebat; adtuli tamen quoscunque de illo scripsisse cognitum habui, quamquam nec hos omnes legendo percurrere mihi erat facultas.

PROOEMIUM.

Fissuram ani, gerçure de l'anus a Francogallis nominatam, ABULCASIS quidèm primus nominasse dicitur, sed videtur tamen, morbus ab eo descriptus alius fuisse, quam de quo hic disseram. L. LEMONNIER [1]) igitur primus fuit, qui accuratius de hoc morbo ageret, fissuramque adipe vel oleo illitam sanandam doceret. SABATIER quoque, in medicina operativa, de fissura ani, breviter tamen atque abrupte, loquitur. Reliqui auctores, qui hoc de morbo agunt, hi sunt:

---

[1]) Traité de la fistulé a l'anus 1689.

DELPECH traité élémentaire des maladies reputées chirurgicales Vol. 1. p. 598.

BOYER traité des maladies chirurgicales etc. Vol. X. p. 125.

Idem in: Journal complementaire des scienses medicales. Nov. 1818.

M. BAILLIE in: medical transactions of the College of the Physicians of London. Vol. V. p. 136.

GOITSKEL in: London medical repository.

POWRL-PLACKETT in eodem Vol. VII. p. 377.

BASEDOW über die Strictura ani spastica im Journal v. GRÆFE u. WALTER B. VII. Heft 1.

CHELIUS Handbuch der Chirurgie B. II. pars I.

SYMPTOMATOLOGIA MORBI.

Quem ego morbum describendum suscepi, quique haud raro a medicis potest observari, occulte maxima ex parte ab alvi obstructione incipit, vel eam post morbi initium sibi adjungit. Jn alvi exoneratione aegrotus summo afficitur dolore, modo urente, modo incidente, modo torquente, oritur tenesmus, qui in gravioribus casibus in totius corporis convulsiones transit. Qui dolor saepe unam vel plures post alvi exonerationem horas saeviens, aegrotum perducit, ut quam rarissime naturae pareat, ne tanto dolore afficiatur; atque quo rarius aegrotus ventrem exonerat, eo vehementiores fiunt dolores, ac si rectum intestinum candente ferro uratur. Sub initium morbi dolor tantum in alvi exoneratione excitatur, saepe per aliquot dies, diaeta frigida et moderata remittit, sed mox iterum redit. Si morbus per aliquod tempus duravit, etiam corporis excalfactione, spirituosorum, cibi calidi vel excitantis usu vehementissimi excitantur dolores. Sunt, qui

ob mangnitudinem doloris sedere non possint, quare aegroto cuidam, ut Boyer narrat, aliud vitae genus eligendum erat, cui stans vacare licuit, alii stare, alii denique movere se non possunt. Jnterdum etiam aegroti queruntur, dolores valde augeri cum descendant ex loco altiori vel sternuent, vel tussiant, rideantve, vel mingant. Quo diutius morbus durat, eo magis crescunt et prolongantur dolores, nec tamen certa quadam ratione increscere videntur, sed quod jam antea dixi, fortuito, saepe typo quodam certo redunt, quod fortasse ex consuetudine unius alteriusve hominis explicari potest, siculi menstruatio certam exercere in morbum vim videtur, quippe quo temporis spatio multo vehementius saeviant dolores. Medicamentis purgantibus, diaeta parca, balneis etsi paululum aegroti sublevantur, mox tamen pristinae eos molestiae vexant, auferunt somnum, hilaritatem et efficiunt, ut aegrotus vitam sibi non ferendam putet. Pro ratione crassitudinis atque duritiei faecium etiam dolores saepe se habent, sed etiam interdum dolores nullam, ut videtur, ob causam vehementissimi sunt, cum faeces sunt parvae vel fluidae. Quid? quod Boyer narrat mulierem quandam ob magnum dolorem ne pedere quidem potuisse, eamque ob rem tubulum elasticum semper in intestino resto ferre coactam fuisse. Simulatque hanc vel minorem etiam morbus vim est consecutus, alvi exoneratio per clysmata tantum vel medicamina purgantia effici potest, faeces sunt durae interdum sanguine immixtae, quae res et aegrotum et medicum saepe, ut morbum pro haemorrhoide habeat, perducit. Jnterdum sanguis profluit ex fissura quadam parva tunicae mucosae intestini recti, ubi in cutem transit, interdum haec fissura paululum altius in intestino recto sedet, diversaeque est magnitudinis, sed semper cum diametro longitudinali parallela. Saepe adsunt haemorrhoides, saepe autem per morbi decursum

demum existunt, cum aegrotus sempèr alvi obstructione laborat; sed interdum haemorrhoides spasmo vehemente sphincteris ani oriuntur. Quando anus ipse examinatur cum haemorrhoidibus fissuram, jam supra nominatam, animadvertimus, ad quam conspiciendam, necesse est, ut nates distrahas, aegrotumque jubeas, quasi in alvi exoneratione premere, quo magis aperiatur ani orificium; neque tamen hoc modo semper quidquam animadverti potest, ut anus digito explorandus sit. Digitus in anum magno labore ob contractiones sphincteris immissus in uno alterove latere vel anteriori vel posteriori fissuram, quasi parvam sentit plicam, quae, digito tacta, vehementer dolet, et sphincteris contractiones fortissimas efficit. Jnterdum etiam fissura inter duos sedet nodulos. Extant exempla, quae morbo jam inveterato, in anum non modo non digitum, sed ne tubulum quidem tenuem clysteris, iuduci posse docent. Sic, nisi apta adhibentur medicamina, per longum tempus trahitur morbus, et narrat Boyer, casum morbi jam per quindecim annos continuati. Alvi exoneratio clysmatibus et medicaminibus purgantibus effecta altero demum vel tertio vel quinto consequitur die. Ob dolorum metum aegroti quam paucissimis vescuntur cibis; doloribus vehementibus et turbatione functionis intestinorum, homines fiunt morosi, erethici, hypochondriaci, interdum ischuria laborantes emacrescunt, et hectice moriuntur. Sequela hujus morbi, qui initio haud memoratu dignus potest videri!

AETIOLOGIA.

Causae hujus morbi remotae valde latent. Quo morbo saepissime non solum,,qui haemorrhoide laborabant, afficiebantur, quorumque exoneratio rara saepe tenesmo difficilior reddebantur, sed vel ii, quorum alvus tantum obstructa erat. Quibus in casibus inde morbus oriri dicitur, quod aut faeces nimis durae tunicam mucosam laedant, quod Lemonnier jam protulit, aut sphincter ani nimis expansus magna vi spasmodice se contrahens fissuram producat. Merat [1]) tamen, Montaigre [2]) et Basedow [3]) putant, semper ante stricturam ani spasticam jam constare necesse esse, ut faeces nimis durae pressae per aperturam coarctatam, eam laedere possint. Quam opinionem, quae mechanica via hunc morbum oriri existimat, Boyer injuste licet vituperat, hancque ob causam putat, Lemonnier omnino alium descripsisse morbum, quam de quo ipse loquatur. Jpse Boyer de morbi aetiologia opinionem suam non plane explicat, sed tamen putat spasmum sphincteris et fissuram semper se invicem producere. Saepius videbat spasmum cum fissura, quam sine ea, et quidem ratione 9 — 1, nunquam tamen fissuram sine spasmo, quam ob rem spasmum putat esse morbum primarium. Ego vero hanc opinionem approbare non possum, solo scilicet spasmo oriri posse fissuram, nisi res vitiosa mechanica accesserit, quam ob rem credo, fere semper fissuram esse morbum primarium et spasmum morbum consecutivum, qui tum invicem se sustinent, et hanc opinionem

---

[1]) Dict. des sciences medicales. Fissure pag. 505.

[2]) Dict. de sc. medical. Hémorrhoides pag. 474.

[3]) l. c.

Chelius[1]) quoque probam esse censet. Haemorrhoides itaque morbo favere puto, cum alvi obstructione tam crebra, apertura ani, tuberculis haemorrhoidalibus circumdata, statu normali durior reddatur, hocque modo, majore orificii expansione fissura oriatur. Eodem modo cicatrix haemorrhoidum excisarum fortasse fissurae ani causa est. Nonne vero alia quoque ratione, quam quas nominavimus hic oritur morbus? Hanc enim puto fissuram, analogon esse fissurae labiorum tempore hiberno, imprimis sternutatione vel oscitatione tam facile orientis, quacum Lemonnier eam jam comparavit; in labiis autem multo facilius curantur cum sphincter oris non tam fortis sit, neque res alienae tantam in labia vim exercent. Ut in labiis, sic etiam tunicae mucosae intestini recti secretio diminuta causam fissurae praebere potest, quam rem, exoneratio alvi, recto minus lubrico, rarior, affirmare videtur.

Syphilis et dysenteria, quae tanquam causae morbi a Lemonnier memorantur, mihi quidem ad hunc morbum spectare non videntur. Saepe etiam lien, hepar vel ventriculus produxisse accusantur eum morbum, sed methodus sanandae fissurae per operationem, omnia morbi symptomata abstulit, atque ita hanc opinionem falsam esse monstrabat.

Jam si quaerimus quaenam corporis dispositio huic morbo apta sit, cujusque aetatis homines eo vexari soleant, respondeo: eos potissimum, cujusque sint constitutionis vel temperamenti, qui viginti vel quadraginta

---

[1]) l. c.

annos nati sunt, rarius seniores, mulieres autem saepius, quam viros infestare videtur.

DIAGNOSIS.

Jam diagnosis hujus morbi non est difficilis, quamquam experientia docet, saepe hunc morbum esse cum aliis confusum.

Cujus mali signa characteristica sunt; ut jam supra exposuimus, dolor vehemens in alvi exoneratione, spasmus sphincteris ani et sanguis interdum faecibus immixtus, quae signa si in aliis morbis spectantur, dolore fixo in certo orificii ani loco attentum facere medicum et ad ani examen adducere debent, quo facto semper hoc in morbo distractis nátibus vel oculis vel digito deteget fissuram, quae digito pressa, vehementissimum excitat dolorem.

Saepissime hic morbus pro haemorrhoide habebatur, quod multis in casibus eo facilius accidere potuit, quod non raro haemorrhoidarii hoc morbo laborant, sed etiam saepenumero fit, ut huic morbo haemorrhois se adjungat, et dolores aeque ac sanguis cum faecibus abiens morbum non nisi haemorrhoidarium esse significare videantur.

Alterum malum, quocum fissura ani confundi solet, est spasmus sphincteris ani, quam ob rem antispasmodica sine ullo fructu adhibebantur. Sed visitatione et exploratione partium diagnosis statuitur.

Porro huc strictura ani etiam referenda est. Ani exploratio in hoc morbo difficillima quidem est, sed durities et firmitas partis coarctatae et absentia doloris fixi medicum ducet.

Deinde hic morbus etiam cum dysenteria permiscebatur, ut si utriusque morbi signa accurate comparaveris facile errorem evades.

Denique fissura pro affectione ani syphilitica habebatur, atque ad malum curandum mercurius continue quidem sed sine fructu adhibebatur. Quod si vel maxime aegrotus eodem tempore utroque morbo laboraret, attentus medicus, mox ex signis supra nominatis, morborum diversam naturam cognosceret.

PROGNOSIS

est omnino in hoc morbo optima, cum curandi methodus ad morbum removendum apta nobis in promptu est. Morbus tamen diu neglectus ex quo cachexia oriebatur dubitationem de curae successu medico injiciebit, at plerumque, nisi forte pessime sese habet morbus, optimo successu medici cura coronabitur.

CURA.

Priusquam ad eam mali curandi rationem, quae aptissima videtur, et certo malum removet, transeo; ea perlustremus medicamina, quae a diversis medicis et proposita et adhibita sunt.

Saepissime et aegroti ipsi medicaminibus purgantibus utebantur, qui morbum, alvi obstructionem esse existimantes, dolorem in alvi exonerationem faecibus nimis duris tribuebant. Non minus clysmata adhibebantur, et saepissime erant valde necessaria ad emolliendas et removendas ab sphinctere ani incarceratas faeces; sed ad mali sanationem his non perveniebant medicaminibus.

Ani perfusiones aqua frigida, balnea aquae calidae, et vaporia, breve in tempus saepe aegrotum sublevabant. Ad spasmum mitigandum suppositoria ex medicaminibus antispasmodicis parata in anum immittebantur, sed non modo inutilia erant, sed etiam ob irritationem partium nocebant.

Et hirudines adhiberi saepe jussum est, atque imprimis ubi erant haemorrhoides, ut nimirum molimina haemorrhoidalia, uti putabant, removerentur. Multi aegroti candelis et linteo carpto et ex aliis rebus paratis usi sunt; quibus stricturam creditam sublevarent, sic Beclard [1]) ex turundarum usu contra spasmum ani et cum fissura et sine fissura, optimum, ut ait, videbat successum, quod tamen aliorum experientia non affirmat, qui eas aut nocentes aut inutiles habebant;

---

[1]) l. c.

quippe quibus maximam partem spasmus augeretur, ita ut paulo post aegroti ne tenuissmam candelam in ano ferre possent. Guerin in nonnullis casibus ferro candente formam cultris habente in anum immisso bonum successum videbat, quam tamen rem Boyer existimat tunc tantum aliquam utilitatem afferre, cum fissura sine sphincteris spasmo adsit, ea de causa, quod ferrum in musculum vim exercere non debeat; at fissura sine spasmo vix exstat, eo quoque veresimile fit, quod fissura remota, spasmus secundarius cesset. Casum haud dissimilem narrat Chelius [1]), fissurae imposita solutione Hydrargyri muriatici corrosivi clausae, et excisione duorum nodulorum morbi omnino sanati.

Unguenta etsi multa variaque ad malum sanandum adhibebantur, maximam tamen partem nullum tulerunt auxilium. Boyer [2]), qui omnia se expertum esse medicamina, priusquam operationem faceret, ait, unum tantum aegrotum sanavit, hoc unguento:

Rp.
Succ. sempervivi recent.
Succ. solani nigri
Ol. amygdal. dulc.
Axungiae porci aa, quod liquefactum, quantitate 1 vel 2 cochlearium semel vel bis vel ter per diem in anum injiciebat, quamquam omnes aegroti, quos sanandos susceperat eo utebantur.

---

[1]) l. c.
[2]) l. c.

In clinico medico, quod directore cel. Krukenbergio Halis floret, plures hujus morbi casus, optimo successu sanari videbam. Cel. Krukenberg, qui multos hujus generis aegrotos se curasse narrat, iis, nisi morbus valde erat inveteratus, hoc modo mederi solet. Aegrotus sumebat, cum diaeta parca antiphlogistica, laxans antiphlogisticum, ut exonerationes alvi essent regulares et fluidae, fissuram autem unguento Zinci pluries per diem illinebat, quibus medicaminibus adhibitis, unius triumve hebdomadum spatio, aegrotus plane restituebatur. Cur alii medici tam raro ex curationis methodo, sine operatione, bonum successum viderint, inde forte accidit, quod morbus nimis jam erat inveteratus, aut quod immissis in anum turundis aut aliis nec aptis medicaminibus, tempus consumebant. Unguentum zinci paululum siccum, melius forte, quam aliud vim externam in fissuram prohibet. Semper autem haec curationis methodus sequenda erit, cum, nisi forte successerit, operatio adhuc facienda restet.

Jllis vero in casibus, in quibus nullum eorum, quae adhuc nominavi medicamentorum aegroto auxilium affert; dissectio sphincteris ani, cura radicalis, Boyero praeeunte, adhibenda est. Operatio hoc modo instituenda est.

Plures dies antea medicamina purgantia dantur, die ipsius operationis autem clysma ponitur, et ad purificandum rectum intestinum et ne plures dies necessitas exonerandae oriatur; postea aegrotus ita ad latus ponitur, ut in operatione fistulae ani, digitus index sinister, cerato illitus in anum inducitur, quo duce culter, lamina tenui, apice obtusa inducitur, tum acies vel ad dextram vel ad sinistram, prout sedet fissura vertitur et uno tractu, tunica intestini, musculi, tela cellulosa et integumenta ex-

terna dissecantur, quo facto oritur vulnus triangulare, cujus vertex in intestino recto, basis autem in cute jacet. Interdum effugit cultro rectum intestinum, ut tela cellulosa id circumdans eo altius dissecetur, tumque sectione secunda ad intestinum rectum dividendum opus est.

Quod si sphincteris contractio sit magna, duo similes sectiones in utramque partem fiunt, nec fissura, si in anteriori aut posteriori parte sedet, cultro tangitur, sed per se jam clauditur.

Post operationem magna turunda in vulnus ponitur, ne irregulariter se conjungat, ceterum linteo carpto facile impletur, et tota fascia, ut in fistulae ani operatione deligatur. WALTER non vult turundam in vulnus imponi, dolorosam quippe et inutilem. Fascia post 2 vel 3 dies demitur et totum vulnus tum linteo carpto cerato illitum deligatur, donec cicatrix formata est. Primo die vinctura pluries mutatur. Quarta vel sexta hebdomata, saepe maturius vulnus clausum est.

Historia aegroti valde ad hunc morbum propendentis, semper tamen brevi tempore, methodo simplici supra memorata, sanati.

L. A. 22 annos natus, opifex scrinarius, bona corporis valetudine, primum ante 16 menses fissura ani laboravit, quae tamen, unguento Zinci illita decem diebus sanata est. Optima valetudine 9 menses degit, cum statim, sine ulla causa iterum fissura afficeretur. Iterum in clinicum Halense receptus, eodem modo post duas hebdomadas sanatus erat. Septem mensibus praeterlapsis, idem homo iterum in clinico praesto erat, querens, se rursum jam per decem dies fissura laborare, dolorem et tenesmum nocte proxima priore vehementissimum fuisse, nec se in lecto quidem manere potuisse. Postero die nodulum circum ani orificium se animadvertisse, ceterum se bene valere, nec omnino scire, quanam causa denuo morbus ortus sit, cum anus inspiceretur, fissura parva versus os coccygis animadvertebatur, eo ipso loco, ubi tunicà mucosa transit in cutem, magnitudine $^1/_3$'' parallela cum diametro recti longitudinali; in latere dextro orificii ani parvus erat nodulus haemorrhoidarius, quem veresimile est per spasmum sphincteris ultima nocte ortum esse, cum antea nihil hujuscemodi aegrotus animadvertisset, et omnia molimina haemorrhoidalia defuissent. Alvi exoneratio erat regularis nec dura, et omnino omnes functiones normales sese ostendebant. In nosocomium receptus, aegrotus in lecto manere omnia excitantia fugere debebat, ad nodulum haemorrhoidarium plures hirudines ponebantur et fissura, ung. zinci illinebatur, ad usum internum, salina purgantia praescribebantur; diaeta erat parca et antiphlogistica. His medicaminibus continue adhibitis, mox aegro-

tus sublevebatur, nodulus haemorrhoïdarius tamen non prius disparuit, quam fissura omnino clausa esset, quae usque ad quintam durabat hebdomadem, quo tempore omnia mali signa disparebant. Hic homo ad hunc morbum imprimis propensus esse videbatur, nam tales hic morbus facere intermissiones haud notum est, et fissura, quae bene distingui potuit, semper antea, quam sanatus dimitteretur, inspecta, clausa inveniebatur. Quem ego hominem, cum diu post dimissionem e nosocomio, viderem, optima valetudine gaudentem omnibusque molestiis liberum, inveni.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum Hamburgi, anno hujus seculi octavo, patrem habui Joannem Augustum Philippi, quem anno praeteri' defunctum lugeo, matrem e Gente de la Camp, adh vivere gaudeo, in religione christiana educatus, prim. literarum elementis in schola privata imbutus, annos quindecim natus, in Joanneum, quod tum temporis Cl. Gurlitto directore florebat, receptus sum, cui per 4½ annos interfui, meque, postquam integrum annum Gymnasium academicum Hamburgense frequentavi, ad almam literarum sedem, quae Halis floret contuli, ibi in physice atque chemia Cl. Schweigerum, in anatomia et physiologia plantarum Cl. Sprengelium; in Zoologia et Helminthologia Cl. Nitzschium; in psychologia Cl Gerlachium; in physiologia, anatomia et normali et pathologica sicut

cadavera secandi arte Cl. Mekelium; in chemia pharma ceutica Cl. Schweiger-Seidelium; in encyclopedia artis medicae et materia medica Cl. Friedländerum; in pathologia et universali et speciali Cl. Krukenbergium; in akiurgia Cl. Blasium; in chirurgia Cl. Wutzerum; in arte obstetricia Cl. Nimeyerum magistros habui. Clinicum obstetricium, directore Cl. Nimeyeri per semestrum, clinicum medicum Cl. Krukenberg dirigente per annum frequentavi. Tum Heidelbergam me contuli ubi clinico chirurgico Cl. Chelii, medico Cl. Pucheltii; obstetricio Cl. Nägelii, quem de arte obstetricia scholas habentem audio, hucusque operam navavi.
